

fidei contra Monothelitas, quam in sexta synodo Constantinopolitana (an. 680) non mediocre suffragium tulisse scribit Paulus Diaconus, vi, 4, de Gestis Longobardorum, et Humbertus adversus Nicetam Pectoratum, ad calcem tom. XI Annalium Baronii, p. 798. De hoc Damiano Ughellus tom. I Italiae Sacrae, pag. 1082. Epistola illa atque Expositio fidei saepe edita Latine in tomis Conciliorum ante actionem primam concilii sexti, ut in Harduiniana, tom. III, pag. 1051-1053.

## II.

[Ex Ughelli Italia Sacra.]

Damianus Biscossia Anastasio successit, cum esset civis Papiensis, anno 680. Ille vir docissimus fuit, annoque antequam eligeretur episcopus, illum narrat Paulus Diaconus, lib. vi, c. 4, nomine Mansueti archiepiscopi Mediolanensis, celebranteque ibidem synodi contra Monothelitas, ad concilium Constantinopolitanum quasdam litteras scriptissime, ejusdemque sanctitatem extollit. Igitur Damianus cum Papiensis episcopus fuisset electus, pro se suisque successoribus satis commodum paravit domicilium; reliquiasque sancti Sebastiani a Romano pontifice impetratas, cuius precibus Papiensis civitas, primo anno sui episcopatus, contagium fuerat emelita, solemni pompa in ecclesia sancti Petri in Vinculis honorifice collocavit, eidemque erecto altari, se clerumque voto astrinxit, ut tribus diebus ante festum, ipsoque festo die, episcopus cum clero solemnibus institutis sup-

plicationibus ad ipsum adiret sacrum facturus. An. 50 Papiensem rexit Ecclesiam, postque multis labores, clarus miraculis, evolavit ad celos, die 12 mensis Aprilis an. 710 (a), sepultusque fuit in cathedrali, ubi adhuc ejus sacrum corpus conditum jacet. Illius meminit Martyrologium Romanum. Baroniusque in suis ad ipsam notis, ubi demiratur Paulum Diaconum Damiano epistolam ascripsisse nomine Mansueti scriptam ad Constantinopolitanum concilium contra Monothelitas, cum in concilio Romano sub Agathone pontifice reperiatur subscriptus Magnus, non autem Damianus episcopus Papiensis. Sed si vir peritissimus rerum ecclesiasticarum rectius ac vice calculos posuisset advertisseque Magnum Papiensem se subscriptisse, non Papiensem, Anastasiumpque, qui ei concilio interfuerat, praecessisse hunc nostrum Damianum Papiensem episcopum, non adeo demiratus fuisset Paulum Diaconum, qui eam epistolam attributum Damiano episcopo, qui per id tempus tantum presbyter erat, illamque epistolam dictaverat anno antequam succederet Anastasio, qui etiam ipse Romani concilii decreatis subscriptuisse reperitur. Nec tamen Paolo Diacono dandum videtur est, si duxerit parum refere dixisse, an presbyter, an episcopus Damianus epistolam illam consecerit; gravi enim historico facile fuit, unius anni morulam contempnsisse ab exarata epistola.

(a) De eo Acta Sanctorum, Aprilis tom. II, pag. 91.

## EPISTOLA DAMIANI SUB NOMINE MANSUETI MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI AD CONSTANTINUM IMPERATOREM<sup>a</sup>.

Domino serenissimo atque tranquillissimo, et a Deo coronato, religiosissimo Constantino imperatori Mansuetus Mediolanensis, metropolitanæ ecclesiae indignus episcopus, vel universa sancta episcoporum [nostrorum] fraternitas, qua in hac magna regia urbe convenit, æternam in Domino salutem.

Si apicem imperialis fastigii et insulas sacratissimæ potestatis avis et proavis vestris confitis attributum cognovimus, et pro meritorum actibus ad vos propagatum scimus, dignum est his vos æquiparare [æquiparari] vestigiis, quorum et celsitudinem oblitis; nec disparilia debent esse instrumenta coœstia, ubi paria possidentur sceptra regalia. Emulari ergo [vos] oportet eorum magisterium, quorum documenta permanent salutaria. Ab ipsis enim rudimentis vita incolitur, cum paternis traditionibus tenaci memoria animus delectatur. Et dum præcedentium antiquorum mens callem triverit, a norma æquitatis et justitiae trainite non recedet. Fixis namque gradibus in cunctis vestigiis<sup>b</sup>, qui non per devia aut abrupta aberrat. Habet quippe, probatissime imperator, specula in quibus tuas actiones imaginari debeas. Nam si excellentissimi ingenii Constantini

imperatoris, qui ortus sui primordia Christi amori [amore] dedicavit, acta reconsensamus, qui et auctor Christianæ religionis exstitit, magno sunt præconio ejus opera ponderanda. Cujus tempore dum pestifer morbus et omni calliditate [crudelitate] grassantior, intolerabilis Aria tyrannidis in Dei Ecclesia serpere coepisset, qui tres naturæ in sancta Trinitate, hoc est, tres deos ausus est prædicare<sup>c</sup>, amplissimes princeps zelo orthodoxæ fidei animatus, congregavit sanctum concilium trecentorum decem et octo sanctorum Patrum in Nicæa urbe Bithyniæ: in qua sancta synodo nefandæ sectæ serpentinam militiam, una cum auctore suo Ario in perpetuo [perpetuum] fecit damnari, et æterna animadversione percelli. Post enijs damnationem sancti Patres regulæ formulam de fidei orthodoxæ unitate statuerunt, et capitula canonum promulgaverunt, quæ nos cum omni veneratione suscipimus. Post hæc vero mansuetissimus et tranquillissimus Theodosius imperator<sup>d</sup> Macedonia quenadam, artis diabolicae versutia deceptum, qui Spiritum sanctum non consubstantialem Deo Patri, sed magis creaturam, impulsu Satanae ausus est prædicare. Tunc vero a prædicto

<sup>a</sup> Ex vetustissimis membranis quæ apud nos sunt, De fide catholica.

<sup>b</sup> Hujus epistole meminit Paulus Diaconus lib. vi de Gestis Longob., cap. 4.

<sup>c</sup> Graditur habent membranæ nostræ.

<sup>d</sup> Fortassis deest hic ingreditur, inhaeret, vel simile aliquod verbum.

<sup>e</sup> Ita hunc locum citat Thomas Waldensis, tom. II fol. 4. HARD.

<sup>f</sup> Deest invenit aut aliquid ejusmodi.

serenissimo Christiano Thcodosio principe in regia urbe Constantinopoli centum quinquaginta Patrum concilio congregato, perdite audacie auctorem una cum venenatis suis præsumptionibus anathematis vinculo subdiderunt [subdi decrevit]. His sponitis, clandestinus hostis suis nefariis machinationibus non sinens pacatam Dei Ecclesiam manere, qui semper consociata diuellere et consolidata perdere consuevit, excitatus est homo peccati, filius perditionis, humanam quidem habens speciem, sed diabolicam gestans imaginem, Nestorius quidam, Constantinopolitanus Ecclesiæ magis prædo quam pastor, qui posuit in cœlum os suum, et lingua ejus transiit super terram, in tantæ perditionis foveam demersus, ut fastu superbissimo et fretus teneritatis audacia, ausus sit dicere beatam Mariam non Dei genitricem, sed tantummodo hominis fuisse matrem, et propter duarum veritatem naturarum tergiversationem faciens, duns in Christo asserebat esse personas, unam passibilem et aliam impassibilem. Quod infandum dogma piorum aures non ferentes [auribus non ferentibus], congregata est sancta synodus in Ephesina civitate, ducentorum sanctorum Patrum numerus, ubi sancte memoriae Cyrillus Alexandrinus Ecclesiæ præsul, auctoritate sanctæ sedis apostolicæ prædictus, caput exstitit, qui ferventissimo zelo Dei, scuto fidei et lorica protectus catholicæ auctoritatis, hæreticæ pravitatis inventorem et assertorem iniquitatis præfatum Nestorium cum [suis] vipereis commentis perpetuo anathemate condemnavit. Dehinc vero dua vasa iniquitatis bellantia, Dioscorus scilicet Alexandrinus præsul, et Euyches Constantinopolitanus archimandrita, intra venerandos Ecclesiæ aditus, ut sævus cancer omnia serpere cupientes [sæva cancroidata serpere cupierunt], simpliciores quoque peste nefarie persuasionis inflicere volentes, qui asserabant in Domino nostro Jesu Christo ante adunationem, duas naturas, post vero adunationem, unam. Tunc a præstantissimo et Christianæ religionis amatore Marciano imperatore collecta est sancta synodus in civitate Chalcedone, sexcentorum triginta Patrum veneranda cohors, quibus mediatores fuerunt beatissimi præsulis Leonis urbis Romæ missi, quorum auctoritate prædicti Dioscorus et Euyches hæretici anathematicis sententia percussi, extra gremium matris Ecclesiæ catholicæ sunt ejecti. Qui sancti Patres in concilio constituti, omni cavillatione hæreticæ pravitatis abrasa, fidei fundamina statuentes, splendidissimo sermone et elegantia urbanæ scientiæ symbolum orthodoxæ fidei consecerunt, retro Patrum vestigia sequentes, tam sancti Nicæni concilii, quam Constantiopolitanus, seu Ephesini primi, quorum sanctionibus Dei Ecclesia in toto orbe decoratur. In quibus promulgationibus statuentes, ut si quis supra id quod ibidem in causa fidei statutum est, addere aut minuere præsumperit, anathematis vinculo subjaceret.

\* In ms. erat existentes quosdam; in nostris membranis, extiterunt quidam.

A Demptis his omnibus, deinceps Christianissimo Justiniano imperatore, cuius cum nomine et opera micuerunt, \* existentibus quibusdam qui sanctam Chalcedonensem synodum sub nævo offensionis rejicere [sub nævum of. rejici oportere] inconsideratis vocibus jacitabant: tunc a Præfato principe iterato in regia urbe Constantinopoli concilio, congregati sunt clx venerandi Patres [concilium congregatum est 16.] venerandorum Patrum]; capitula illa, de quibus infamari [infamare] gestiebant, obloquentes; prædictam Chalcedonensem synodum ab omni suspitione pravi erroris absolventes [absolvens]; tria capitula, pro quibus accusabatur, aperta damnatione fecit ulcisci; ubi et decessorum Patrum regulas et formulas sacrae institutionis sequentes, sanctam et B immaculatam orthodoxam fidem viyacibus sententias roborantes, firmissimam assertionem [firmissima assertione] confirmaverunt.

C Ecce, præstantissime princeps, antiquorum Patrum statuta, una cum consensu piissimorum imperatorum definita, quæ convelli vel infirmari nulla ratione pietas vestra permittat. Nam si sunt qui audacia dialecticæ artis inflati, cothurnata cervice, buccis tumescientibus, sinuosis circumflexibus et flexuosis ambagibus, phaleris verborum pompisque sermonum, sua ferali calliditate simplicem fidei rationem convellere, et delegatas a Patribus regulas conculcare vel temerare voluerint, eorum inflationibus tranquillitas vestra non acquiescat: sed recordamini qualiter propheta dicit: *Verbum breviatum faciet Dominus super terram (Isa. x)*; quod per sanctos apostolos vidimus impletum. Quid enim brevius, quam simplex fidei symbolum ab apostolis institutum, in quo mysticum sacramenti continetur arcanum? Nam si [regulas fidei] relegas, insigne imperator, non cum dialecticis, non cum rhetoricis, non cum grammaticis, sed cum ruricolis et piscatoribus Dominus posuit <sup>b</sup> rationem, et his tradidit sui secreta consilii, quos et principes ordinavit, quibus ligandi solvendique tribuit potestatem; nonne vobis videtur, optime imperator, dementissimæ mentis esse, qui apostolicas traditiones, et venerabilium Patrum instituta depravare festinant? Nos autem omnes, qui sub felicissimos et Christianissimos a Deo custodiendos principes, dominos nostros, per excellentissimos reges Christianæ religionis amatores, una cum eorum sancta devotione pari tenore et reverentia traditiones sanctorum apostolorum, seu reverendissimorum Patrum, qui in supradictis conciliis adfuerunt, omni cum [Felicissimis et Christianissimis et a Deo custodiendis principibus nostris dominis Peretharit et Cunibert, præexcellentissimis regibus (Langobardorum), Christianæ religionis amatoribus sumus, una cum, etc.] veneratione suscipere, amplecti, defendere, prædicare, præcipue sanctæ memoriae Leonis apostolice sedis præsulis dicta, sed etiam orthodoxos Patres, qui per diversa loca

<sup>b</sup> Vox ista non est in ms.

zelo Dei ferventes dogmata salutaria nobis reliquerunt; ut venerandæ memoriarum Gregorius Nazianzenæ civitatis episcopus, et Basilius Cappadociae episcopus, et Cyrilus Alexandrinus praesul, et Athanasius ejusdem Alexandriæ Ecclesiarum pontifex, nec non et Joannes Constantinopolitanus antistes, et Hilarius Pictaviensis episcopus, et omni sapientiaclarus Augustinus Hipponiensis [Hipponiensis] episcopus, et veneranda corona [venerandæ coronæ] Christi confessor Ambrosius Mediolanensis Ecclesiarum praesul, simul et eruditissimus et omni luce conspicuus Hieronymus presbyter, quidquid hi docuerunt, sapuerunt, prædicaverunt, vel defensores extiterunt, nos eorum acta vel statuta omni devotione suscipimus. His delegatis operæ pretium duximus quid nostra fides contineat adnectere [huic nostræ suggestioni fidei formulam, ut se nostra fides continet, adnectere].

*Incipit expositio fidei Patrum Mediolanensis synodi.*

Prosternemus nos credere indivisibilem sanctam Trinitatem, hoc est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, ita unum ut trinum, et ita trinum ut unum: Trinitatem in distinctis atque discretis personis, hoc est, Patrem, ex quo omnia; Filium, per quem omnia; Spiritum sanctum, in quo omnia, unus tamen divinitatis, unius essentia, uniusque substantiae: in tribus quidem subsistentiis seu personis, ut Pater Pater sit, Filius Filius sit, Spiritus sanctus Spiritus sanctus sit: in una natura unaque substantia, ut Deus unus, et solus, et summus creditur: non tres introducentes, ut Arius blasphemat, qui tres deos prædicavit, excellentiorem, minorem et inferiorem. Nos vero sanctam Trinitatem in unitate, et unitatem in sancta Trinitate constemur. Nam cum dicimus omnipotentem Patrem, appellatio hujus paterni nominis ad Filii personam intenditur, et cum dicimus æternum Filium, ad æterni Patris personam referuntur; et cum nominamus Spiritum sanctum ab æterni Patris persona eum procedere monstramus.

Cum autem dicimus Deum Patrem omnipotentem, non potest hujus nominis evacuari sacramentum. Quia cum dicimus Patrem, Filium demonstramus; et cum dicimus Filium, Patrem declaramus; et cum dicimus æternum Patrem, æternum Filium demonstramus. Nam si non invenimus initium vocabuli hujus paterni nominis, quando Pater sit dictus, consequenter ostenditur quia nec initium geniti reperimus. Obscuramus ut detur nobis ratio quando Pater hoc vocabulum, ut Pater vocitaretur, sortitus est: si in tempore, si extra tempus, dicat nobis aliquis quando primus cœperit appellari: et si potuerit hoc approbare, nulla erit dubietas ex illo initio paterni nominis Filium initium accepisse quo pater nominatus est. Et si defecerit, imo quia deficit, nec poterit approbare, nec dare initium paterni nominis, quando Pater esse cœperit: prosteatur ergo nobiscum sanctam Trinitatem coessentiali atque consubstantialem nec Patrem ante Filium, nec Fi-

lum post Patrem, nec Spiritum sanctum inferiorem fuisse, quia dum initium paterni nominis non inventur, nescimus qua ratione Filio initium ascribatur. Quia cum dicimus sempiternum Deum Patrem, sempiternum Deum Filium ostendimus. Ideo sanctam Trinitatem in una natura unaque essentia atque substantia, et tribus subsistentiis, sive personis, profitemur.

Credimus autem ipsum Dei Verbum, hoc est, Filium Patris sine initio genitum: eumdeinde unum ex tribus subsistentiis de sancta Trinitate æternum Filium, pro dispensatione facta pro nobis et nostra salute descendisse de cœlis, incarnatum Verbum Dei et hominem factum intra Virginis uterum, uniens sibi nostræ naturæ veritatem ex sancta et gloria Dei genitrici Maria virgine, perfectus Deus et perfectus homo in duabus naturis, divinitatis scilicet atque humanitatis, consubstantialis Deo Patri secundum divinitatem, et consubstantialis idem ipse nobis, secundum humanitatem: non in duobus Filiis [duos Filios] divisus, sed unus et idem Dei et hominis Filius, in veritate duarum naturarum: in una subsistencia sive persona, divinitatis videlicet et humanitatis unitione facta, ut ex duabus perfectis naturis non duo Fili, sed unus idem Dei et hominis Filius, permanens quod erat, coepit esse quod non erat, dum sine initio æterni Patris Filius factus est hominis filius. Ideo et unus est Dominus noster Jesus Christus habens in semelipso perfectionem divinæ naturæ, et perfectionem humanæ naturæ: et est unigenitus quidem ex Verbo [et Verbum], ut pote ex Deo Patre natus, et primogenitus in multis fratribus; Filius enim Dei filius hominis factus est. Unde et duas nativitates ejusmodi ipsius unigeniti Dei Verbi constemur: ante sæcula quidem ex Patre incomparabiliter natum [unum], in ultimis autem diebus eiusdem ipsius incarnationem [Incarnati alteram] de sancta gloria Dei genitrici et semper virgine Maria; qui de Patre splenduit supra intellectum, de matre ortus est supra rationem, et cum Deus vere esset, factus [est] vere homo. Ideo proprie et vere Dei genitricem sanctam et gloriosam et semper virginem Mariam constemur; non quia Deus Verbum initius ex ipsa accepit, sed quod in ultimis diebus unigenitus Deus Verbum, qui ante sæcula erat, incarnatus ex ipsa immutabiliter [mirabiliter] homo factus est, et cum invisibilis in suis esset, visibilis factus est in nostris; et cum impassibilis Deus esset, non dignatus est passibilis homo esse, et immortalis, mortis legibus subjacere. Ipsum autem Deum et Dominum, qui in Bethlehem secundum carnem natus est, et similis factus est hominibus absque peccato, et crucifixus est pro hominibus sub Pontio Pilato, ipsum constemur Deum, ipsum hominem, ipsum Filium Dei, ipsum filium hominis, ipsum de cœlo, ipsum de terra: ipsum impassibilem, ipsum passibilem. Deum enim verum [Deus enim verus], qui natus est ex Deo Patre ineffabiliter, inenarrabiliter, incomprehensibiliter, ipse in tempore non est de sancta virgine Maria, idem ipse Dominus no-

ster Jesus Christus, annis in [de] sancta Trinitate, **A** congregatus Patri et sancto Spiritui [congregatus cum Patre et Spiritu sancto]. Nec enim quartam personæ [quarta personæ] adjectionem suscepit sancta Trinitas: duas autem naturas in una subsistentia divinitatis et humanitatis inconfuse, incommutabiliter Dominum nostrum Jesum Christum habere veraciter constemur. Ita quoque et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes habere, ut pote perfectum Deum et perfectum hominem, unum eundemque ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, pietatis nos regula perstruit, ipsum natum, ipsum passum, ipsum crucifixum, ipsum sepultum, eundem ipsum resurgentem, et in celos ascendentem, ad dexteram Patris sedentem, et ad vivos et mortuos judicandos venturum, cuius regni **B** non erit finis.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Atque hinc lector animadvertis velim, quantum rem litterariam omnem, sive sacram sive profanam,

adjuvent veteres membranae in obscuris plerisque bibliothecarum angulis delitescentes, quidve consequant ad eruditionem, aut qui eas magno studio conquisitas et magno nonnunquam ære sibi comparatas viris diligentibus communicant, ut iis utantur, aut qui eas sua aliorum opera nacti cum excusis Codicibus Herculeo labore conferre non abnuunt. Ecce quam varia quamque eximia in collatione praecedentis epistolæ suggesterunt nobis duo triave foliola in nostram bibliothecam, unde unde comportata, atque illud imprimis quod nemo hactenus divinare potuerat aut explicare: *Nos autem omnes qui sub felicissimos et Christianissimos a Deo custodiendos principes dominos nostros per excellentissimos reges Christianæ religionis amatores una cum, etc.* Quod veteres illæ membranae omnibus deinceps manifestissimum efficiunt hisce verbis quæ inter unicos ascrispimus: *Nos autem omnes, qui sub felicissimis et Christianissimis et a Deo custodiendis principibus nostris dominis Peretharit et Cunibert; præexcellentiissimi regibus Christianæ religionis amatoribus sumus una cum, etc.* Qui vero fuerint Pertharitus, et Cunibertus ejus filius, a patre in consortium regni Longobardici ascitus, si nescias, consules Pauli diaconi Aquileiensis Historiam Longobardorum.

ANNO DOMINI DCLXXIX.

# S. AMANDUS

TRAJECTENSIS EPISCOPUS.

## SANCTI AMANDI EPISCOPI VITA

AB AUCTORE ANONYMO.

[Ex Actis Sanctorum, mens. Febr. tom. I.]

1. Beatus Amandus in pago Herbatilico non longe a littore oceanii Galliae, ab inclytis et catholicis parentibus traxit originem: cuius pater Serenus nomine dictus est, mater vero Amantia nuncupata est. Ille ab infantia litteris eruditus, inspirante sibi divina gratia, relicitis parentibus et patria, vitam coenobitarum eligens, navigavit insulam nomine Oyem, quæ distat a littore Galliae 40 milliaribus: ibique in quedam monasterio religionis habitum assumens, cum gudio est susceptus. Quadam vero die dum per insulam ambularet, vidi quemdam serpentein seu colubrum miræ magnitudinis. Quo viso territus puer sanctus Amandus, in oratione prostratus, signum crucis contra serpentem opposuit, et ad latibraram suam, ut inde nunquam exiret, fugere compulit, nec ex tunc apparuit. Et sic habitatores illius insulæ a serpentino periculo liberavit. Parentes vero ejus voluerunt eum ad propria reducere, quibus minimis acquievit.

2. Post haec Amandus licentiam et benedictionem **D** a Patre monasterii, quod erat prope mare, postulans, causa peregrinationis solus in terra Burgundiorum in civitate Bethoricas multis diebus, annis videlicet 15, peregrinavit, et a sancto Austrigisilio illius civitatis episcopo benigne suspectus est. Ubi constructa cellula juxta ecclesiam, cilicio indutus, et pane hordeaceo et sicera sustentatus, vitam austera duxit. Dum autem quadam die ad quemdam orationis locum ire desideraret, hora diei quasi sexta radio clarissimo

**C** perfusus, per momentum horæ totus orbis terrarum quasi sibi apparuit.

3. Deinde assumptio uno comite, asello sedens, per devia Alpium Italianam penetrans, ad visitanda sanctorum apostolorum ac martyrum limina et patrocinia, ad urbem Romanam pervenit. Ubi deambulans per loca sanctorum diebus, ad ecclesiam Sancti Petri noctibus revertetur. Sedente autem eo in gradibus ecclesiæ in extasi mentis, sanctus Petrus apparuit ei sereno vultu, et blando sermone dixit ut causa prædicationis reverteretur. Gaudensque de visione, cognovit invenisse gratiam Dei quain quæsivit.

4. Post haec Amandus in Gallias remeavit, prædicans Evangelium regni Dei. Erat autem vultu serenus, corpore castus, vigilius et orationibus deditus, sermone cautus. Sic inter gentes anachoretarum gerebat vitam. Hic vero pueros transmarinos comparavit plurimos, et per baptismi lavacrum cunctavit.

5. Rursum cum officio clericorum ad urbem Romanam perrexit, et ab apostolico honorifice est susceptus. Pueros vero, quos duxit, per loca sanctorum donavit, Codices divinos utriusque Testamenti et tractatus, rediens Galliam, secum tulit. Cum autem pelago Sardiniae navigasset, nautis de pace et charitate prædicavit. Illis vero bibentibus et manducantibus apparuit pisces ingens, qui arte piscatoria captus est, unde nautæ gavisi sunt. Orta autem magna